

luntati parere omnibus in rebus desiderat, interveniente etiam summo studio ac diligentia, quam feceram, ut ipsi dicunt, decreverat morem gerere B. V. et ita heri tertia hora noctis decreverat in consilio regatorum et unanimi omnium consensu concluserat bellum indicere Turco. Volui hoc statim significare S. V. ad consolationem eius et sacri collegii totiusque curie suae. Spero iam dato hoc principio omnia feliciter successura: etiam hoc tempus reservatum esse a Deo S^uo V. ad amplitudinem fidei nostre, christiani populi salutem et vestram tam in hac quam in futura vita gloriam sempiternam.

Voluerunt scire a me isti nobiles quod subsidium esset eis in praesentia praestitura V. B., quamquam particulariter omnia ex curia senserant. Dixi de decimis, XX^{mis}, XXX^{mis}, praedicationibus, indulgentiis, absolutionibus et votis locorum suorum et decima curie in favorem eorum exigenda. Grata omnia habuerunt. Et ita, si Deo placebit, intento die dominico publice in ecclesia S. Marci celebrare et solemnum processionem facere praesente dominio, max^e ut fama huius felicis principii per Italiam divulgetur. Die vero lunae incipiám dare modum rebus agendis. Isti cives, beatiss^e pater, nihil prae modestia petunt publice quoad futurum tempus et futura subsidia presertim cum magna sperent magnasque ego oblationes fecerim: tantum commandant hanc rem pietati et clementiae vestrae. Privatim tamen omnes qui frequentissime mecum sunt, multa loquuntur de hac re supplicantes, ut S. V. dignetur solita illa sua animi magnitudine aggredi hanc rem eique omni studio ac vigilantia incumbere. Parvam se spem habere in aliquo, Beatitudine Vestra excepta: quod si S. V., quod absit, eos rem tantam orsos derelinqueret, impares se fore viribus Turcorum; futuram eam esse extremam perniciem non modo ipsorum, sed totius populi christiani.

Et certe ita esset, B^{me} pater. Propterea dignetur, supplico B. V., rem hanc sua solita sapientia, pietate et clementia prosequi et huic excellentissimo dominio aliquid scribere, quod eos hac cura levet, spem bonam adiiciat et totius huius populi mentem consoletur et recreet. Conetur S. V. uti suavibus et dulcibus verbis quemadmodum solet: conferent enim non solum huic rei, sed aliis multis et magni boni causa erunt. Spero B. Vestram posthac animos istorum omnium habituram erga se et sedem Apostolicam devotissimos et vestre clementie obedientissimos, et ita supplico B. V. ut eos cum omni benignitate et clementia complectatur et tractet. Addiderunt deputati in fine efficacissimis verbis iterum preces, ut S. V. dignetur componere res Sigismundi Malatesta. Sperant enim pacem eius patriae multum rei, de qua agitur, profecturam. Imo nihil sine ea boni fieri posse: magis hanc rem cordi habere videntur quam si propria esset. Hor-tatus sum eos denuo, ut ipsi sint causa pacis ut auferant ab illo omnem spem praesidii, ut nolint aliqua pauca oppidula rem tantam impedire. Dixerunt se nullam supra hoc commissionem habere. Dominum iam suassisse Sigismundo per oratorem suum de oppidis